

& excipite cum honore, quem extinguere molimini.

[**E C C E** totus mundus post eum abit.] Argumento à necessario, & periculis petito, sese atentos reddunt. **E C C E**, antea paucos habebat discipulos, nunc verò totus mundus, & c. per auxesim, id est, augmentum, dicitur, commendaturque potentia Christi, & Euangelij, quòd **T O T V S** mundus, id est, turba, **A B I T** cum eo, id est, illi adheret, & credit in eum: adeoque à nobis defecit ad illum, vt nobis iam nec satis tutum sit palàm illi manus iniicere. Festinemus igitur ad propositum negotium ante, quàm tantum malum latius serpat, totamque occupet urbem, cui modis omnibus obuiandum est. His mutuis verbis sese cohortabatur impij Pharisei, vt maioribus præsidijs, dolisque Christum adorirentur: vnde tantum facinus non prius peragunt, nisi habito Phariseorum, Scribarum, Sacerdotum, ac Seniorum magno consensu, adiuncta quoque sibi plebe, quæ vento mutabilior facile iisdem accenditur furijs: addita Pilati præsidis auctoritate, accersito & Iuda proditore.

Auxesis.

[**E R A N T** autem quidam Gentiles ex his, qui ascenderant.] Tacite vocationem Gentium insinuat Euangelista. Pharisei, Seniores, Scribæ & Sacerdotes aduersus Christum conspirantes, & occidere quærentes labuntur, & in præceps ruunt. Gentes verò reiectum à Iudæis Iesum videre, & amplexari cupiunt: vt iam videatur lapsus Iudæorum fuisse occasio Gentibus ad gratiam. ad Rom. cap. 11. Sed illorum delicto, salus est Gentibus: vt illos æmulentur. Quòd si delictum illorum, diuitiæ sunt mundi, & diminutio eorum, diuitiæ gentium: quanto magis plenitudo eorum? Hi ergo veluti primitiæ conuersionis Gentium, cum in templo adorandi, tum Iesum videudi gratia venerant Ierusalem: templi enim Ierosolymitani tanta erat veneratio, vt etiam è longinquis regionibus eò religionis gratia multi Gentiles proficiscerentur, quòd ex Actis Apostolorum, cap. 8. legimus obseruatam ab Eunuchò Caudacis reginæ Aethiopum. Hoc itaque ritu, & consuetudine exciti hi Gentiles, conscendunt Ierosolymam. Aut hi fortassis profelyti erant. hoc est, ex Gètilismo ad Iudaismum defecerant, qualis & vnus fuit Cornelius Cæsariensis. Magis mihi arridet prior sententia, quòd

Gentium vocatio.

Profelyti.